



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

LXI. De Monachis peregrinis, qualiter suscipiantur. A vitiis sospes  
Monachus cùm venerit hospes, Si remanere petat, nil stabilire vetat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

- g) *Seu celebrare, juxta dispositionem Abbatis.*  
 h) *Id est, si verò Abbas non jusserit.*  
 i) *Scil. vel in Sacerdotem, vel de aliis re-*  
*bus, ut exponunt Smaragd. Boërius & alii.*  
 l) *Smaragd. subintelligit, exaltatus; quod*  
*textus Boërii apponit.*  
 m) *In dandis consiliis aliisque, nè videlicet*  
*Seniores suos citra jussionem Abbatis præ-*  
*veniat. Ex Boërio &c.*  
 n) *Sic dictorum à græco κληρος sors, eò quòd*  
*sint adoptati in sortem ministerii Divini.*  
 o) *Propter honorem Clericatus; si tamen vi-*  
*ta meritum Clericatus [sicut & Sacerdotio]*  
*correspondeat. Ità Smaragd. Bernardus*  
*Cassin. &c. patètque ex cap. seq. sub finem.*  
 p) *Sumitur iterum pro Et.*

15. APRIL. 15. AUG. 15. DECEMB.

## CAPUT LXI.

*De Monachis peregrinis, qualiter  
suscipiantur.*

**S**iquis Monachus peregrinus de longin-  
 quis provinciis supervenerit a; si pro  
 hospite voluerit habitare in Monasterio,  
 & con-

& contentus fuerit consuetudine loci, quam invenerit, & non fortè superfluitate *b* suâ perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est *c*, quod invenerit, suscipiatur, quanto tempore cupit. Siqua sanè rationabiliter & cum humilitate charitatis *d* reprehendit, aut ostendit, tractet *e* Abbas prudenter, nè fortè pro hoc ipso eum Dominus direxerit. Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare; non renuatur talis voluntas *f*; & maximè, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci.

a) *Id olim, cum Votum stabilitatis non emitteretur, sat fuisse frequens, patet ex Casiano Sc. Vid. interim notata c. 58. lect. 2. lit. c.*

b) *Putat, in cibo, potu Sc.*

c) *Subintellige, illo ipso.*

d) *Id est, in humili charitate, Sc charitativâ humilitate; altera enim sinè alterâ esse non potest.*

e) *Sive consideret,*

f) *Id est, non dissentiat tali voluntati.*

16. APRIL.

16. APRIL. 16. AUG. 16. DECEMB.

**Q**uòd si superfluous *a* aut vitiosus repertus fuerit tempore hospitalitatis, non solùm non debet sociari corpori *b* Monasterii; verùm etiam dicatur ei honestè, ut discèdat, nè ejus miseriam etiam alii vitientur. Quòd si non fuerit talis, qui mereatur pròjici *c*, non solùm, si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus; verùm etiam suadeatur, ut stet *d*, ut ejus exemplo alii erudiantur: quia in omni loco uni Domino servitur, uni Regi militatur. Quem si etiam talem *e* esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulùm *f* constituere loco. Non solùm autem Monachum, sed etiam de superscriptis gradibus Sacerdotum vel Clericorum stabilire potest Abbas in majori *g*, quàm ingrediantur, loco; si eorum talem perspexerit esse vitam. Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sinè consensu Abbatis ejus, aut literis commendatitiis, quia scriptum est. Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris.

a) *In*

- a) *In cibo, potu, vestimentis &c.*
- b) *Seu Congregationi.*
- c) *Id est, ejici ex Monasterio.*
- d) *Id est, constanter maneat.*
- e) *Vitæ scil. merito, ut mox sequitur.*
- f) *Quidam referunt ad Verbum sequens, & sumunt pro aliquamdiu, sed malè; cum S. P. continuò subdat vocem, stabilire.*
- g) *Seu altiori vel digniori.*

17. APRIL. 17. AUG. 17. DECEMB.

## CAPUT LXII.

### *De Sacerdotibus Monasterii.*

**S**iquis Abbas sibi *a* Presbyterum *b* vel Diáconum ordinari petiêrit *c*, de suis *d* eligat *e*, qui dignus sit *f* Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam *g*; nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum. Nec occasione Sacerdotii obliviscatur Regulæ obedientiam & disciplinam; sed magis ac magis in Deum *h* proficiat. Locum verò semper illum *i* atten-